



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

IV. De complice & Sigillo Confessionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41699

esset lethale quod commisit, possit accedere ad Eucharistiam sine confessione, quia Tridentinum dicit præmittendam, quando quis est sibi conscius peccati mortalis. Talis autem non est conscius.

CAPUT IV.

De complici & Sigillo confessionis.

QUAERO. *An liceat in confessione detegere complicem, sive socium criminis?* Resp. ordinariè non licere, & id facere sine justa causa, ex suo genere esse peccatum mortale, ut communiter censent Theologi. Ratio est, quia licet maneat hoc sub sigillo, tamen potest generare opinionem sinistram in sacerdote; unde se detegi etiam coram discreto Sacerdote, grave sibi existimat peccati socius, & est rationabiliter invitus, cum id nullâ urgente causa fit, aliterque confessio facilè fieri potest. Dixi, *ex genere suo esse mortale*, nam ob levitatem materiæ, vel ob inadvertentiam, vel ob confitentis simplicitatem, exigua sæpe est culpa. Sic in

H h § muli.

mulierculis contingit, quæ putantes se bene confiteri, maritorum, famulorum, filiorum, vel aliorum domesticorum defectus enarrant, jurgia, lites convitia. Dixi etiam, *sine justa causa*, quia cum causa est legitima & fit sine intentione infamandi, ob aliquod bonum, potest esse licitum, nec censetur esse detractio formalis, nec alter rationabiliter invitus. Unde generaliter non video, cur non liceat aperire in confessione, quod extrâ liceret. Atqui frequenter licet peccantes vel ad peccatum inducentes Parocho deferre, in ordine admonitionem & correctionem, vel ut de similibus interrogentur in confessione ad emendationem: ergo etiam licet in ipsa confessione. Tunc enim majori obligatione secreti tenetur Confessarius: & si de his agat cum illa persona, eam vel interrogando, vel monendo, debet ita se gerere, ut non colligat ex confessione alterius procedere.

2. *QUAERO. An si non possit aliter peccata explicare peccatum, quàm dando*
nostris

iuriam personæ Confessario, possit dimi-
 liare confessionem Ex. gr. Commisit
 incestum cum sorore, nec potest id a-
 rrire Parocho, quia novit sororem. I-
 am cognovit præposterè uxorem, itaque
 peccata confitebitur, sed istud rejer-
 are cupit, donec ignotum Confessarium
 habeat. Commisit sodomiam cum fratre
 & similia. Resp. 1. probabile esse posse
 tunc reticere, ut parcat famæ proximi,
 imò teneri censent aliqui Theologi &
 Canonistæ, inter quos Navarrus,
 Resp. 2. non teneri, nisi aliud grave dā-
 num personæ illi timeat: puta quod
 impediatur a Confessario ad officium
 vel beneficium aliquod consequen-
 dum, aut à matrimonio quod sperat,
 aut cum persona sit affinis Confessa-
 rio, male ab eo tractabitur, & simi-
 lia. Ratio verò cur ordinarie non
 teneatur, est, quia cum aliter pec-
 carum exprimi nequit, nisi cum per-
 sonæ complicitis notitia, censetur ille
 iure suo cessisse illud committē ad o,
 quapropter sibi imputet, Deinde inte-
 gritas confessionis videtur præpon-
 derare

derare erubescentiæ alicui, quam inde potest complex habere, quod ejus peccatum sciatur à Confessario sibi noto, qua notitia non potest uti Confessarius in ejus damnum.

Nota verò cum persona non est loca criminis, sed tantum objectum, nō licere ejus occultum peccatum detegere. Unde filius vel frater, qui voluit occidere Matrem vel sororem, ob adulterium, vel ei optavit mortem ob crimen aliquod, non potest id aperire; sed solum dicat id se fecisse ob aliquid quod sibi in ea graviter displicebat. Similiter maritus qui percussit graviter uxorem ob suspicionem violentam, quam habebat de ejus mala conversatione, aut aliquo crimine, puta, quia invenit eam ebriam, non debet illud aperire; sufficit si dicat se gravem aliquam causam habuisse, & tamen modum excessisse vulnerando, aut lædendo. Et sic de similibus.

3. *QUAERO. Quantum ad sigillum confessionis, an alius præter Confessarium teneatur ad sigillum?* R. teneri omnes, qui

qui ex confessione peccati notitiam habent. Sic tenetur qui prope Confessarium existens audit alterius confessionem, eadem obligatione qua Confessarius. Item ia quæ Sacerdos sacrilegus revelasset; teneretur etiam sigillo. Unde hanc generalem regulam dant Theologi: *Omnia notitia habita ex confessione, siue mediatè, siue immediatè, transit ad quemcumque sub eodem onere, & manet sub sigillo.*

4. *QUAERO. An violet sigillum, qui legit alterius peccata in schedula, quam scripsit pro confessione, & de illis loquitur?*
 Resp. non violare, quia tale scriptum non est confessio sacramentalis, gravissimè tamen peccat talis contra naturale secretum.

Sed dices, quid si quis per chartam, in qua legit, confiteatur, & alter præsens, chartamque respiciens, legat alia peccata? Resp. tunc teneri sigillo; quia tunc Scriptura est proximum instrumentum, quo utitur pœnitens, ad confessionem faciendam; unde idem videtur ac si quis peccata audiret, dum
 per

per interpretem Sacerdoti exponitur; nam etiam ille ut instrumentum se habet.

5. *QUAERO. Quomodo violatur sigillum?* Resp. violari posse, vel directè, vel indirectè. Directè quidem, quando explicatur peccatum alicujus in particulari etiam veniale, vel circumstantiæ aliquæ aperiuntur, quæ concernunt peccatum, & ad illud declarandum à pœnitente sunt propositæ. Immò omne id cujus explicatio onerosam aut odiosam confessionem reddere potest, censetur ad sigillum spectare. Indirectè verò violatur sigillum, quando aliquid aperitur, ex quo potest colligi, vel suspicio esse, aliquem peccasse, vel venialiter in specie, vel mortaliter in genere.

Hinc deducuntur resolutiones sequentes.

1. Peccat contra sigillum qui dicit aliquem esse illegitimum, & non novit nisi ex confessione, quia ei aperuit pœnitens ad explicandum suum peccatum.

2. Pec-

2. Peccat contra sigillum, qui dicit se pœnitentem talem noluisse absol- vere. Quia inde solet colligi pec. mor- tali fuisse obnoxium: nisi aliud impe- dimentum afferat Sacerdos, quod non concernat peccatum puta quia agno- vit in progressu confessionis non esse sibi subditum.

3. Violat sigillum qui dicit: *Iste habe- bat casum reservatum.* Vel ex notitia confessionis, dicens: *Iste est mala vita, perversa conscientia.*

4. Qui negat alicui Eucharistiam, vel non vult assistere matrimonio, ex scientia solum habita in confessione.

5. Si Sacerdos postquam in aliqua Parochia excepit confessiones, dicat pleros que pœnitentes se ibi invenisse adulteros. Hoc enim & suspicionem sæpè dat aliquarum personarum in par- ticulari, & communitati etiam aliquã infamiam aspergit; unde reddit con- fessionem onerosam.

Quare adverte consultum esse, co- ram sæcularibus numquam de auditis in confessione sermones miscere, et- iam

iam

jam in genere: quia statim putant Confessarios semper memoria retinere sua peccata, & propter hæc se respici & despici. Nec etiam approbo, quod aliqui in Concione statim prædicent de auditis in confessione peccatis, maxime dum nimis specialiter fit; nam poenitentes tacitè sibi peccata sua objici putant, potestque inde onerosa vel odiosa confessio reddi. Sed & de auditis in confessione non potest cum poenitente loqui Confessarius, nisi de ejus licentia. Nec notitia uti in ejus gravamen, de qua re latius Theologi passim in hac materia. Licet defectus contigisset in confessione, si neget poenitens licentiam Confessario agendi secum ea de re, non potest Confessarius eo invito loqui. Vide *Maldenum tract. de sigill. c. 1.* Quicquid dicat in contrarium hoc in casu *Suarez*, & eum secutus *Mercerus*, & nonnulli alii. Vide etiam *Dianam tract. de sigillo.*

6. Indirectè censetur violari sigillum, si ex multis qui eidem confitentur, unus præ aliis laudetur, dicendo:

Quant

Quant
itur;

cum a
gravior
paratio
absolut

nihil v

7. O

solo pe

lis. Ex

potest e

& alii.

8. N

suu scri

mus. Ra

di, sign

non ha

sultum

potest

tenti.

N

tionem

jam ple

Quantum ad hunc, sola venialia confitentur; comparationem enim faciendo cum aliis, datur intelligi quod alii graviora confiteantur. Dixi, si comparatio fiat cum aliis; nam si alicujus absolute incidat mentio, eum laudare nihil verat.

7. Omnis violatio sigilli, etiam de solo peccato veniali, censetur mortalis. Ex defectu tamen deliberationis, potest esse veniale, ut docet *Dom Soro.* & alii.

8. Non est violatio sigilli dicere: *Iste suis scrupulis quotidie est mihi importunus.* Ratio est, quia tali modo loquendi, significatur potius quod pœnitens non habeat peccata. Tamen nec consultum est sic loqui, quia id ruborem potest afferre, & onerosum est pœnitenti.

APPENDIX.

De sigillo Confessionis.

NOtent velim serio Pastores & Confessarii, tantam esse obligationem sacri sigilli confessionis, ut etiam plerique gravissimi Doctores asserant

serant

ferant nullâ ratione posse eos uti notitia confessionis in directione externa, si vel minimum gravamen redundet inde in pœnitentem; & si ipse solus illud advertere possit, nec sit periculum quod peccatum ejus in aliorum veniat cognitionem. Ratio est, quia istud secretissimum & sacratissimum sigillum adeo strictè à Christo Sacramento huic annexum est, ut nullâ ratione onerosum vel odiosum pœnitentibus reddatur. In qua tamen re scimus quosdam Confessarios fat imprudenter se gerere. Ex hac generali assertione multi speciales casus resolvuntur in favorem pœnitentis, & ipsius Sacramenti, ne quis ab eo alienetur.

1. Si alicujus audiveris confessionem, non solum tibi non licet sine licentia pœnitentis loqui cum eo de auditis in confessione; sed etiam non licet austeriorem te præbere, vel minus affabilem, aut familiarem. Nec potes eum movere extra confessionem de pœnitentia adimplenda. etiamsi advertas à te impostam non adimplere.

Ratio-

Ratio est, quia sic ipso factum peccatū ei exprobrari censetur, non sine gravamine ipsius, & injuria in Sacramentum redundante.

2. Non licet Sacerdotibus inter se colloqui de peccatis alicujus, etiamsi eundem pœnitentem audiverint de illis in confessione: nisi forte det eis licentiam consultandi inter se ob spirituales suam utilitatem. Sic nec licet Confessario loqui de peccatis quæ quis confitetur coram aliis necessitate pressus, ut fieri potest vel in prælio, vel in naufragio, vel cum quis accepto vulnere debet coram Chirurgo medelam adhibente, & aliis ministris confiteri. Nec enim Confessarius potest postea de his agere cum illis ipsis qui ea audierunt; nec ipsi etiam inter se, quia tenentur ad sigillum, sicut & Confessarius. Et quamvis non sit hic secreti revelatio, quando quidem coram multis hæc aperuerit; est tamen in gravamen pœnitentis; & silentium debet ipsis indicere religio Sacramenti.

3. Si confessarius audierit confessionem,

sionem,

sionem, & confitentem non absoluerit
 ob indispositionem, & indignitatem,
 non solum non potest dicere. *Ego enim
 non absolvi*; sed etiam putant multi
 eum teneri dare schedulam testem
 confessionis, si hoc urgeat pœnitens.
 Sic contingere potest quando vel dis-
 cipuli suis magistris, vel famuli suis
 heris vel Religiosi suis Superiorib. te-
 nentur referre testimonium suæ con-
 fessionis. Negando enim posset ali-
 quo modo prodere sigillum & pecca-
 torem; dando autem non mentitur,
 quia tantum testatur esse confessos,
 quod verum est. Et siquidem coram
 aliis confessus est, & coram ipsis petit
 testimonium, certum est nullatenus
 posse ei negari, quia ingeneraretur su-
 spicio, quod non fuisset absolutus. Si
 autem Confessarius exceperit confes-
 sionem alicujus publici peccatoris,
 puta furis, aut meretricis, non potest
 dicere: *Ille maxima cum contritione
 confessus est mihi sua furta; & illa mer-
 tricias suas sordes*: quia licet hæc pecca-
 ta aliis sint nota, & hoc videatur tan-

tum

eum dicere in laudem confessionis &
 contritionis eorum : tamen quia hoc
 speciale tangit peccatum, & per hoc
 etiam confirmantur audientes in sci-
 entia quam habebant de ejus delictis,
 est contra sigillum; nisi fortè confitens
 licentiam dederit, ut peccatum suum
 propaleatur, & contritio junctim, ad
 bonum exemplum aliorum & repara-
 tionem scandali. Potest tamen gene-
 raliter dicere de publico peccatore: *Il-
 le mihi confessus est peccata sua cum la-
 crymis* Et de latrone ob crimina suspē-
 so: *Ille benè confessus est, & credo benè
 mortuum.* Quia nihil hic in speciali
 tangitur de ejus peccatis; quæ, & qua-
 litas sunt : & licet audiens indè colligat
 eum latrocinia vel furta esse confes-
 sam, id tamen non fit ex vi verborum
 Confessarii, sed ex alia scientia publi-
 ca delictorum ejus.

4. Si Pastor habet ancillam vel famu-
 lum, & ex sola scientia confessionis
 sciat furtum fieri ab eis in reb. domesti-
 cis; nō potest illos dimittere; imò nec
 extraordinario modo res suas custo-
 dire,

dire, si hac ratione tacite eis censeatur peccatum exprobrari; hoc enim & onerosum esset & odiosum, redundans in injuriam ipsius sigilli & Sacramenti.

5. Si Superior novit ex sola confessione peccatum inferioris, non potest eum amovere ab officio etiam ad nutum amovibili; nec suffragium ei negare in electione ad officium vel beneficium, aut promotione ad honores communes; nec negare ei licentiam exeundi è domo, nec murum Monasterii aliùs erigere, nec custodes adhibere ad eum deprehendendum, & similia, quæ in gravamen redundarent pœnitentis, & in odium confessionis. Quod si licentia ab eo petita fuerit pro absolvendo casu reservato, & ille explicatus ei fuerit ad hunc finem, renetur sigillo; quia id factum est in ordine ad confessionem, eò quòd clavium auctoritate fulget, quarum potest inferiori Confessario dare participationem, & quidem talem participationem, ut in foro interno deleget potestatem absolvendi. Non minus

ergò

ergò quàm Confessarius tenetur re sibi
ad hunc effectum detecta, quia Iudex
est in hoc foro sacramentali & sigilla-
to. Immo censetur violatio sigilli, si
quis dicat Confessarius, aut Superior
de Conventu aliquo Religioso, Visi-
tatori, vel Provinciali: *Sapè in hoc Con-
ventu petitur licentia absolvendi à re-
servatis*, Quia hoc redundat in grava-
men Communitatis, & alienare potest
confessione, vel eius libertate, con-
tinentes.

Præclarum est decretum Claudii
Aquaviva Generalis Patrum Sæc. sic
illis præscribentis. *Anno 1590. Tamet-
si non desunt Doctores qui sentiunt sal-
vo Sacramentali Sigillo confessionis
iustis de causis licere nonnunquam
Confessario (quando id fieri potest si-
ne ulla revelata confessionis suspicio-
ne) uti extra confessionem notitia per
confessionem habita, tamen quoniam
hac doctrina & eam exigit in tanta re-
circumspectionem, quam servare diffi-
cile sit: & interim posset aliquando re-
tardare subditorum libertatem, quam*

Ii hu-

hujus fori sanctitas, & nostra Societatis institutum requirunt in se ipsis rebusque suis Confessario aperie ndis. Idcirco visum est nobis in Domino statueri, sicut & severè statuimus, pro reverentia, qua semper Societas nostra colit hujus Sacramenti in violabile sigillum & libertatem, ut omnes superiores diligenter caveant ne ipsi vel nostrorum aliquis supra dictam doctrinam, usquam introducant nec illam publicè aut privatim doceant, nec ea utantur ullo modo, nisi forte de pœnitentis licentia. Sed in omnibus prorsus casibus ita se nosse gerant Confessarii, ac si in confessione nihil peritus audiivissent; sibi que persuadeant, ut humanarum rerum regimen ab hac Sacramento longissime distat, & ita debere nullatenus ab eo pendere. Præclarum sane monitum, quod utinam non solum illi, sed & omnes Confessarii, & Superiores perfecte observarent.

Certè Superioribus Regularibus. Clemens 8. id præcepit strictè ann. 1794. hæc verba: Tam Superiores pro tempore

existentes, quàm confessarii qui ad Superioritatis gradū postea fuerint promoti, caveant diligentissime, ne eā notitiā quā de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur. Et quidem hoc decretum obligatione sub peccato mortali passim tradunt Doctores. Et ex verbis Pontificis in fine sui decreti colligunt.

6. Non potest Confessarius declarare se pœnitentiam impositam, si ex illa possit colligi grave saltem veniale in confessione audisse; est enim indirecta tunc revelatio. Pœnitens tamen potest suam pœnitentiam aperire alicui, quia non tenetur sigillo. Hoc intellige, si non redundet in aliquam ignominiam vel irrisionem Confessarii, quia saltem tenetur tunc secreto naturali.

7. Non potest Confessarius peccatum aperire in confessione auditum, etiamsi nequeat peccatum suum aliter in confessione confiteri, quin veniatur in notitiam personæ quæ ei confessus est, & peccati ipsius. Ratio est, quia

tunc habet rationabilem causam tacē-
di, magisq̄ue debet ponderari obser-
vatio sigilli, quam integritas materia-
lis confessionis: concurrentibusq̄; duo-
bus præceptis incompatilibus, sive
quorum utrumque simul non potest
observari, cessat minus. Certum autem
est, quod frequenter liceat ex rationa-
bilibus causis facere confessionem non
integram materialiter: numquam au-
tem licet violare sigillum, etiam præ-
cipiente Pontifice, aut etiam si periret
tota Respublica, totus vel orbis. Hinc
non potest qui in confessione audivit
proditionem civitatis Magistratui in-
dicare, ut advigilent sibi, si vel in suspi-
cionem venire possit confitens.

Quod si accesserit, aliquis non ut
confiteretur sacramentaliter, sed ut il-
luderet Confessarium, vel ut illum in
criminis societatem protraheret, vel
ut ejus bursam furto subdolo eriperet,
& id certis constet indiciis, non tene-
retur ad sigillum, quia hæc confessio fi-
cta esset, non sacramentalis, ne quidem
inchoativè Si tamen veniret quis ut se
accusa-

accusaret tamquam Sacerdoti, & remedium sibi quæreret in ordine ad salutem, licet postea non veniretur, non habere propositum non peccandi, vel aliter omnino esse incapax absolutio- nis, tamen tenetur ad sigillum Sacer- dos, quia sufficit esse sacramentalem confessionem inchoatè.

8. Etiam si pœnitens daret licen- tiam revelandi complicem, cujus pec- catum debuit aperire in confessione, nonnulli putant id non licere Con- fessario; quia sigillum non solum est in favorem pœnitentis, sed etiam in favorem complicitis, si ejus pecca- tum debuit ab altero aperiri in con- fessione. Et ita ejus etiam licentia requireretur. Ita Vasquez cum non- nullis. Et advertit, quod non potest Confessarius à pœnitente extorquere complicem in ordine ad illius corre- ptionem vel monitionem, ut fuse, & perdoctè declarat *Malderus cap. 17. de Sigillo*. Non potest ergo illum prode- re pœnitens, nisi quatenus est neces- sarium ad explicationem sui peccati;

& tunc utriusque peccatum sigillo clauditur.

Nota ex S. Thoma, & Doctoribus passim cum hoc Sacramentum non debeat reddi nimis onerosam, nec etiam odiosum pœnitenti, ordinariè teneri Pastorem ad dandam licentiã sibi subditis illam petentibus, ut confiteantur approbatis & idoneis Sacerdotibus. Unde illi qui sunt nimis solliciti, ut conscientias per subditorum confessiones sciant, & difficiles planè se exhibent ad dandam facultatem alteri quã sibi, multis damnationis laqueum injiciunt, & per consequens sibi ipsis: quia multi sunt adeo infirmi, ut potius dimittent confessiones, vel nullas efficiant, quàm tali vel tali Sacerdote confiteantur. Licet ergo quandoque mali alicujus occasio oriri possit ob licentiam datam; per eam tamen multò majoribus malis occurritur. Videri potest Navarr. ad Cap. Placuit.

Imò ulterius notent Pastores hac in re morosi, quod *S. Thom.* in Supplemento dicat satis esse, si pœnitens asserat

erat se rationabilem causam habere,
nec tenetur in particulari explicare,
quia fortè tangit Pastorem ipsum, vel
quia conjuncta est cum peccato, ut non
possit explicari sine illo.

Nec desunt Doctores dicentes suf-
ficere, quod licentia sit petita, licet nõ
obtentã, ut alteri approbato & idoneo
validè confiteatur pœnitens.

CAPVT V.

De peccatis reservatis.

QUAERO. *An sint aliqui casus re-
servati Pontifici? Resp.* nullos
esse, nisi quibus adjuncta est excom-
municatio, vel censura reservata. Ta-
les sunt excommunicationes, quæ in
Bulla Cœna exprimuntur Extra illam
autem Bullam multæ ab Auctoribus
enumerantur, sed tantum tres aut
quatuor usui Confessariis his in patri-
bus esse solent. *Prima* de percussori-
bus Clericorum, *Cap. Si quis suadente.*
De Simoniacis realibus vel confi-
dentialibus Extrav. Cùm detestabile.
Pius V. Intolerabilis 3 de com nitten-
tibus duellum, vel ad illud favorem